



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 50. Facultatis oppositio contra hanc sententiam, ejusque libellus
supplex ad Senatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI. Parisiensis Episcopus Petrus Gondius, postea sacrae Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, quod sacra Facultas Theologiæ Parisiensis in Renati Benedicti versionem, quam hic idem Episcopus approbat, insurrexerit, hinc Maldonati partes tueri statuit, illumque per suum Promotorem interrogari, ac de ejus doctrina examen institui jussit, quinimo ipsemet Episcopus illum ad questionem vocabat, perceptisque octo, vel novem Doctorum hanc in rem accitorum judicii die decima septima Januarii anno post Christum natum millesimo quingentesimo septuagesimo quinto sententiam pronuntiabat, qua Maldonatum nihil fidei contrarium docuisse, nec minimum fovisse errorem declaravit. Enimvero Maldonatus immaculatæ Conceptionis opinionem in Ecclesia tam solemniter receptam, atque ab omnibus ferme Catholicorum Scholis adoptatam non impugnabat, sed duntaxat eam non esse fidei dogma afferebat.

§. L.

Facultatis oppositio contra hanc sententiam, ejusque libellus duplex ad Senatum.

Argente l.c. Quamprimum Facultas hanc sententiam a Parisiensi Episcopo latam fuisse

Sæcul. XVI.
A.C. 1575.

fuisse perceperat, mox ad undecimam
 Februarii diem apud Sorbonam comi-
 tia haberi indixit, quibus etiam Uni-
 versitatis Deputati intererant, ubi
 decretum fuit, libellum supplicem
 porrigendum esse Senatui Parisiensi, ut
 scandalum ex Episcopi decisione ortum
 reprimere velit. Die tertia Junii in ge-
 neralibus Universitatis comitiis apud
 Mathurinenses Magister Tyffart Rector
 questus est, quod Maldonatus scri-
 ptis, & verbo docuerit in Collegio Cla-
 romontano, animas defunctorum tan-
 tum degere, & remanere in Purgato-
 rio per spatium decem annorum, ideo
 placuit Universitati rem esse remitten-
 dam ad sacram Facultatem, cum hæc
 quæstio esset Theologica: insuper propo-
 nebatur, libellum supplicem Senatui
 dandum esse, in quo contineantur er-
 rores hujus Theologi. Vicissim Maldona-
 tus alium libellum supplicem obtulit
 Reverendissimo Episcopo Parisiensi, que-
 stus, violatam ab Universitate Episcopa-
 lem dignitatem, eo quod illa libros, &
 scripta damnare, & de doctrina judi-
 care præsumeret. Hanc rationem Epi-
 scopus Parisiensis approbans vetuit, ne
 adversus Maldonatum procedatur: in-
 super minatus est, se laturum senten-
 tiam excommunicationis in Recto-
 rem, & Doctores Theologos.

§. LI.